

tutâ notabiliter exorbitâsse, cumq; aliâs rectâ progressus stellas in Capite Medusæ Trapezii formâ dispositas medio loco pertransiturus fuisset, crudelitate Algol quasi perterritum à sinistro latere Caput prædictum ambire saltem deprehenderunt. Conspiciebatur autem Cometa eo die horâ 8 pom. inter Algol & stellam proximè inferiorem, ita ut triangulum obtusangulum isosceles cum utraq; efformaret stellâ, cujus vertex à Cometâ sinistrosum constitutus demisso perpendicularo vix semidiametro lunari distabat à basi oppositâ. Proinde Cometam eo die in 21 gr. 30 min. & cum latitudine 21 gr. 50 min. septentrionali extitisse puto. Sequenti die altiùs ascenderat Cometa constitutus horâ octavâ in interseccionem duarum linearum, quarum una è poplite Persei ad Andromedæ pedem australem; altera per prædictas duas in Capite Medusæ stellas ducitur. Cumq; Cometa visu iudice non multis ab Algol abfuerit minutis in eâ lineâ quæ cum longitudinis circulo ferè coincidit, aliquantisper tantùm illic ubi Cometa declinans erat ad ortum, ideoq; Cometâ non pluribusquàm 5 minutis majorem longitudinem, quàm Algol habuisse (laboriosioris calculi evitandi gratiâ) conjicio, eumque in 21 gr. 25 min. & stetisse suppono. Latitudinem calculo trigonometrico sic inquirō.

In apposito Schemate sit



A Polus eclipticæ borealis

B lucida in australi pede Andromedæ

C Cometa.

D quæ in genu sinistro Persei.

Stellæ B longit. 9 gr. 23 min. & lat. 27 gr. 46 min. S

Stellæ D longit. 0 gr. 52 min. D lat. 19 gr. 4 min. S

Praxis.

I. In Triangulo BAD pro ABD *διδόμενα* sunt

AB Complem. lat. Stellæ B 62 gr. 14 min.]

AD Complem. lat. Stellæ D 70 gr. 56 min.]

B A. D Differentia longit. B & D 21 gr. 29 min.]

Ergo dantur ABD 109 gr. 13 min.]

II. In Triangulo ABC pro AC *διδόμενα* sunt.

AB Complem. lat. Stellæ B 62 gr. 14 min.]

ABC ut ABD 109 gr. 13 min.]

BAC